

17

(10)

Generalprüfung

f



De JK  
Ye 639

170.4

I. N. J.

EUCHARISTICA ORATIO,

Juxta illud Numer. XXI. v. 18.

Disß ist der Bruñ/ den die Fürsten gegra-  
ben haben/ die Edlen im Volck haben ihn gegra-  
ben/durch den Lehrer und ihre Stäbe.

In memoriam devotam

Munificentiae & Liberalitatis maximae

Serenissimi Principis ac Domini

DN. JOHANNIS  
GEORGI II.

Elect. Saxon. Burggravii Magdeb. &c. &c.

Domini nostri Clementissimi,

Aliorumq;

Cum

REVERENDISSIMORUM & ILLUSTRISSIMORUM

PRINCIPUM,

Tum

Præ-Nobilium & Honoratissimorum Virorum,

Vestigia Magni nostri OCTOVIRI sponte legentium,

Circa Restaurationem SCHOLÆ TORGENSIS

Et Auditorii Novi, jam jam occupandi, pro auspi-

candis Lectionibus

d. XXV. Septembr.

Quo ante CXXI. annos,

Novum Religioni Orthodoxæ robur accessit pace Passaviensi

firmiter stabilita,

publicè habita

à

M. Jacobo Reichmanno, Rectore.

TORGÆ,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ HEMPEL,  
Sereniss. Elect. Saxon. Typogr. Aul.





## I. N. J.

**U**T suum cuiq; ex solido, quale est meritum, pretium & decus rependant, qui in se collati beneficii non immemores, totos se devinctos & mancipio factos teneri amplius profitentur, tam necessarium ac decens habere oportet, quam esse potest, ipsius justitiæ ac honestatis rationem jura & leges salvas in civitate factasq; conservare ac custodire. Quid enim aliud justitiæ fundamentum est? Quid magis stabilit eam firmatq; solidius? Quid honestatis vim; Quid naturæ ordinem ac legum reverentiam fovet ac consolidat constantius? quam si in id incumbamus sedulo, ad quod præcipuè nos esse natos juxta ac educatos haut incerti sumus? Ut beneficiis videlicet ornati, eisdem nos minimè indignos probemus, nec injurias; verum prolixiori ac copioso magis animo grata officia studiaq; referamus, pari pietate respondentes. In notas injuriæ insignes non possunt non incurere, qui contravenire nituntur. At præterire silentio honoratorum virorum laudes, eorumq; merita in publicam præcipuè rem cumulata, tradere oblivioni, vel prorsus negligere, proximum sacrilegio crimen, aut si quid gravius, æquè habendum esse, non abs re existimare licet. Gravissimè enim tales, ex vero peccare, & à justo rectoq; longè abire, quis cum ignarissimis ignorat?

Et nos nasci sine, ut homo hominem adjuvet & promoveat ex Stoicorum scholâ habemus. Et hoc non pauci fortè veterum, nec ex philosophantium genere tantum, sed sanctissimus ille Ambrosius amplexus adeò est, ut mirè commendarit istam opinionem, illustrando insuper quæ præcipuè partes sint, quorsumq; pertineant & quàm latè, & ad quosnam hoc justitiæ studium se restringat. Hominis certè est has justitiæ implere partes, ut benè de se merentibus benè vicissim velit, & quicquid ad illorum facere honorem, quicquid authoritati ac existimationi inservire posse intellexerit, id semper agat, id laboret strenuè, ut grata & profutura officia cum studio majori exhibeat. Sed & illam natura ipsa hominum communisq; consuetudo docet, cunctosq; hac lege quasi generali constringit, ut à quibuscunq; aliquid liberalitatis acceperis, plus eis gratiæ te debere agnoscas. Arctat quippe cunctos ad retributionem dati accepta largitio, ut Salvianus philosophatur. Hæc illa lex, cui gentium consensus adstipulatur, quæ haut inferior, sed omninò par illi est, de quâ Cicero, ut solet, more disertorum rethoricatur: Est ea non scripta sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut si quid boni in te rediit, si quid felicitatis tributum: omnis honesta ratio expungendi nominis instituat gratiarum actione. Et quid quæso frequentius in scholis teneræ inculcatur publi? præterquam trita illa & vulgò notissima ex eodem Cicerone: Est animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: Gratum esse & videri, eundem præcipere his verbis: Hæc una virtus non solum maxima, sed & mater virtutum omnium reliquarum. Contra verò omni modo detestandam esse & procul arcendam foedissimam ingratitude. Terram enim nihil pejus aut odiosius alere ingrato:



Omnes immemorem beneficii oderunt, scribit Tullius. Et maledicta cuncta dixeris, inquit P. Mimus, si ingratum dixeris. Non sufficit autem hæc inculcasse pueris, si contra venire ipsi, & quod alios monemus non re, & exemplo declarare velimus, & quasi præire, nostrosq; ad similes mores facilius induendos inducere. Efficere exempla enim quid in utramq; partem valeant, quotusquisque est, quem fugiat? Fortius movent ac trahunt, & quantumquisq; se superiores vel alios præstare videt, tantum expedendum quoq; & imitandum animo putat.

Nihil itaq; prius, nihil antiquius hac vice duximus, quam gratias agere, omnibus & singulis, qui scholam hanc & imprimis novum nostrum Auditorium non solum tectumq; modò, sed pulcherrime etiam ornatum redonarunt gratiosè, tum maximà sollicitudine, curâ & indefesso labore, sicut præcipuum in præsentem præstitisse non possumus non fateri admodum Rever. & Excellentiss. Dn. D. PAULUM HOFMANNUM, Pastorem, Superintend. & Inspectorem nostrum honorandum: tum gratiosissimâ manu, ope, largo ære, & si quid aliud fuit impensum, quod peculiaris libellus hac de re non absq; gratâ ac duraturâ memoriâ recenserebit divulgabitq;. Ec quis enim ausit nomina eorum reticere aut sipario quodam tegere? Quod si quis fortè perfrictâ fronte id contendat: Ei meritò occinendum arbitramur illud Christi generis nostri Auctoris ac Servatoris, beneficentiam quorundam insignem approbantis, deq; publicâ à pueris in sui honorem factâ acclamatione & applausu gravissimè pronunciantis: SI HI TACUERINT, IPSOS CLAMATUROS ESSE LAPIDES. Et sicut olim benevoli Judæorum Præsidis sui oppidani in Scholam abundè collata beneficia Christo præsentem maximo-perè & proluxè exponebant: Hunc ipsum esse, qui immane quantum, Scholam inter eos ædificando, universo populo boni conciliaverit: Ita persuasum est nobis pietati atq; honestati conformem susceptum iri rem, si quantum in viribus est, omne impendatur in divinas laudes, in Benefactorum summa & ima nomina celebranda, inq; debitas gratiarum actiones prorumpat. Cum igitur mihi sit mandatum, ut in primâ statim occupatione renovati pulcherrimè Auditorii, Eucharisticâ potius, quam peregrina & aliena ab hac re materia lectiones consvetas auspicerer, meum fuit rectè monentis vel mandantis dicto audientem esse, cujus auctoritate omnia mea promoventur studia, quam defugere nequaquam par erat, nec habere insuper, quæ rei necessitas exigit, quæ ratio & honestas præscribit, & quæ alia quamplurima Scholæ commodum promoventia urgent passim atq; inculcant. Datâ igitur venia consensurus sum cathedram, bono cum Deo auspicatorum lectiones ordinarias, præmissa Eucharistica quadam dissertatiuncula, ad similitudinem Israelitarum insigni elogio Principes illos commendantium, quorum gratiâ, studio & opera FONS PUTEALIS aliquando in deserto proruperat, cum ineffabili commodo in universum populum redundante. Rogo autem majorem in modum Excellentissimos Dominos, Inspectorem, Patronos, ac Fautores, ut convenire frequenter die 25. Sept. Hor. 9. in superiori Auditorio, & ibi dicturo benevolam atq; proluxam dare operam, haut dedignari velint, vota q; sua pia laboribus nostris impertiri benignè. Et novum beneficium conferent Scholæ, illustrari suarum Virtutum splendore & præsentem honorifica magis magisq; Acroaterium, nosque denuo obstrictos ita tenebunt, ut dies noctesq; cogitandum sit, quâ ratione dignum Eis statuatur præmium.

Dab. Torgæ d. 24. Septembr. M. DC. LXXVI.



(TIT.)

**I**N nomine Sacrosanctæ TRINITATIS, DEI Patris, DEI Filii, & Sancti Spiritus, hoc in Acroaterio tam splendidè ornato, Lectiones ordinarias auspicaturis nefas omninò & piaculi instar visum est, singularia illa collata in Scholam hanc beneficia, & merita longè maxima ita præterire, ut nec DEO immortalis, Auctori ac largitori omnis boni, pro ineffabilibus muneribus, immortales laudes gratesque persolverentur; nec ulla fieret, vel Serenissimi ELECTORIS SAXONUM, Dn. nostri clementissimi, vel Reverendiss. Principum ac Dominorum, FRATRUM, cum insigni laude, mentio, quorum omnium & singulorum, magnoperè prædicanda liberalitas est ac pietas, providentiaq; plusquam paterna de conservandis Reipubl. seminariis & plantariis; vel aliorum magni nominis famæ & celebritatis Virorum, quibus universis ferendum est grato animo acceptum omne, quod in præsentis & latis spectamus oculis, & humillimà veneramur mente, manuq; Feliciter! tenemus.

Quemadmodum autem omnis hujus felicitatis causam ex peculiari Dei benignissimi favore, ejusque ope præstantissimà profluxisse, rectius agnoscimus, & piè admiramur; par certè admirantibus erit, non in primo limine atque aditu modò, verùm etiam quovis momento, in continuandis laboribus studiisque perficiendis, Nomen Ejus gloriosum summâ pietate, reverentiâ ac more sanctissimè habere semper, colere, ac eâ, quâ decet humilitate, Eidem gratiarum hostias immolare.

Nam hujus certè solius fuisse, liquidò jam constat, quod reperi adhuc fuerint, in seculo hoc ferè exulceratissimo, qui ex vero pietatis sinceræ cultores, scholisque faventes, & probare, orbiq; erudito æstimandos sese sistere, nec dubitarint, nec ullis pepercerint vigiliis, labori & operæ nulli, nullis sumptibus, quin Gratiam, Fidem, pietatem, favoremque in humaniores literas valdè propensum publico quodam testarentur monumento: quique in reparandis, vel admodum ruinosis, vel jam prolapsis ædificiis nullâ ex parte suam paterentur claudicare liberalitatem.

Quod si & omninò par est, decetque benè meritis semper referre gratiam, & summopere cavere, ut debitâ laude ne destituantur: in Eorundem conservandâ beneficiorum memoria, id omnes pro virili parte, strenuè pertendemus, ut si aliud quidem nostris Benefactoribus præmium non promittere & polliceri habeamus, Nomina tamen ipsorum, virtutes, munera laudesque assiduè recolamus, celebremus, famæ & honori Eorundem gloriæque velificantes, quicquid ab eis nos boni collati unquam meminerimus, ab oblivione hominum atque à silentio, modis omnibus vindicatum eamus.

Tales equidem tacere atque negligere, quid aliud videbatur, quam aut parum habere pensi tam egregiorum munerum auctores, aut, quod impium & sacrilegio par est, conculcare adeò gloriosi Numinis maxima & divinissima bona, abs cujus si esset providentiâ, neque contingere frequentes tam nobiles Heroës, neque exerere virtutem posse, & sic optimè de religione, ejusque officinis mereri, extra omnem dubitationis aleam planè est positum. Hic verò etsi divinum quoddam genus orationis tantæ pietatis res requirere videantur, quod tantum.

A

abest

abest à meâ tenuitate, ut infantiam meam, & minus benignam ingenii venam ingenuè agnoscam, & apud Vos, eruditissimos plerosque deprecatur humillimè, si magnis atq; eximiis meritis, rebusq; non par respondeat verborum ubertas; siq; in tantorum Principum splendore, me, tanquam ad Solis lumen caligare, aut prorsus succumbere oneri suscepto animadverteritis, favore tamen vestro promptum in honoratum eundo munificentissimos Viros, conatum sublevare, bonamq; interpretari in partem pietatem non desinatis.

Maximè porro aptum laudibus eorum explicandis, nec Vobis, Auditores, fore adedò ingratum, arbitratus sum, nobile illud Israëlitarum ob tunc recens, sive inventum, sive restauratum puteum, seu fontem amœnissimum, omnium voce & linguâ dulce modulatum his verbis canticum: HIC IPSE EST FONS, QVEM FODERE PRINCIPES, CAVAVERE HUNC POPULI DUCES, UNA CUM IMPERATORE, SUIS SCEPTRIS. Ut verò in arcem rei, seu ad ipsum fontem deferamur, haud præter rem videmur facturi, si circumacto nonnihil stilo, præmittamus Veltrâ cum veniâ, Xenophontèum illud: ARTES BONÆ, BONORUM FONTES SUNT, ante perpensus cogitandum, quàm eò rapiatur oratio, quò collimare pro ingenii modulo instituit, & susceptas partes explicare ingressa est temel.

In hoc igitur argumento, cum universa nostra actio gratiarum versatura sit, à Vobis excellentissimis & Præ-Nobilibus viris, Dnn. Patronis, Promotoribus, Fautoribus honorandis, majorem in modum peto, benignas mihi commodare aures, & facem addere paratissimis animis semper uberiores in Evergetas cunctos accumulandi gratias, amplificandique pro virili, quos hætenus tot modis & scholæ & unicuique nostrum suâ munificentia & liberalitate concinnaverunt honores.

ARTES BONAS BONORUM FONTES ESSE, elogium certè insigne est à tam luculento scriptore verissimè proditum. Verùm non, tam in ipsarum Artium commendationem idem hoc vergere, quàm in Earundem quoque officinarum, non planè alienum erit adserere, si præter arctissimam utriusque combinationem, rem unâ ipsam id apertè etiam loqui, & indice quasi indigitare attentius libuerit perpendere. Equem sanè latere nostrum potest, inter summa humani generis bona, non alia reperiri majora, præter eruditionem ac sapientiam? Quæ, si cui semel facta sunt propria, quid non felicitatis inde sibi polliceatur, qui diu multumque in iisdem investigandis æque ac acquirendis assidue versatus fuit? Næ, fieri non potest, quin cultorem perpetuò omnis generis prosperitates sequantur, & nunquam non circumfluant uberrimi & copiosissimi fructus. Quotum quemque autem cordatorum posse reperiri putemus, qui quidem invitâ talium quid sperare, sibi que optare habeat, nisi ex literarum domiciliis, iisque optimè instructis ante iverit petiturum, & singulari studio, assiduâ operâ, velut ex limpidissimo fonte haustum, atque comparatum fideliter, custodiendum existimaverit? Fontibus carere tam est grave, atq; molestum, quam acerbum & difficile est respirare, ubi nulla datur aëris liberioris copia & facultas. Quid, quæso, magis censeamus necessarium in urbe? quid in regione aliqua? Quid in vita mortalium denique conservanda, utilius unquam aut præstantius? quam fontes habere saluberrimos, unde excitetur in  
cunctis



cunctis animantibus naturæ vis, unde alantur commodè, & incrementa capiant indies majora ac robur solidius? Quota quæque dicetur Respublica carere posse artibus bonis earumque officinis? nisi fortè sit, quæ & aquarum copia videatur minus indigere aut desiderare ullorum fontium liquorem? Fontibus acceptum ferimus primum pagorum ortum (quibus postea natales suos etiam urbes debent) quod ex ipsissimo nomine, Græca scilicet dialecto, eis adhuc hærente, latinisque duntaxat notis signato, dubitanti manifestius patebit. Equidem dispa- labundi per agros populi vehementer de aquâ, ad communem usum reperiendâ, solliciti, ad puteos passim investigandos maximâ urgente necessitate, compellebantur. Quo semel ut uno atque altero aperto, aliud ilicò, non minus ad vitam tuendam utile ac jucundum possidentibus occurrebat, humanæ nimirum societatis magis magisque habendæ rationis, quâ genus tanto munere præ cæteris animantibus præstans & constare benè, resq; mortalium administrare dexterrimè valeret. Hoc ipsum certè absque arctiori vinculo non rectè posse, nec congruè fieri, prudenter admodum colligebant, nec alio nexu melius firmari & pagos, & quæ ex auctiori agmine, juxta fontes, frequentique magis confluentium populorum copiâ, nascebantur, civitates, quam si animorum cultura, morumq; castigatio, ad omnem honestatem, ad artes ac elegantiam imprimis homines componerent. Siquidem hæc, nec vagari quemquam, more bestiarum permittere, nec laxare habenas temeritati, omniumque odio dignissimæ lasciviæ: pietatem è contra promovere, & imprimere insigniter pudoris atq; honestatis pulchritudinem, & divinæ naturæ exemplar.

Ejusmodi virtutis decus nullius esse, apparet præterquam, cujus ingenium sub magistro solerti, cum cura & singulari dexteritate fictum interpolatumq; auspiciatò prodiit è scholâ. In scholis enim quæ cavere in vitâ, quæq; accuratè observare contra ac sequi & custodire par sit, discamus oportet. Virtus, inquit SENECA, difficilis inventu est, rectorem ducemq; desiderat. Etiam sine magistro vitia discuntur. Hæc in primâ statim herbâ, ne efflorescant, maturis suffocanda & extirpanda penitus, aut animi duris constringendi vinculis, ne sui quodammodo oblici frangant honestatis clathros atque erumpant. Quocirca, sicut ex purissimâ scaturigine, fonteq; indidem exuberante, nec insistente fluxu, amœnissimos, per regiones latè diffitas, derivamus rivulos civitatibus quàm maximè profuturos: Nec minus pariter literarii fontes, unde Artium cæterarum quædam quasi regurgitatio est, instar amplissimi & inexhausti Oceani, multigenis felicitatis ostia aperiant, seq; per ea in privatam atq; ac publicam vitam prudenter utramq; administrandam, fluminis in morem exonerant. Neq; enim domus ulla erigi sine illis, & constitui, aut res ordinari rectè, multò minus, sacra auspiciatò fieri possunt, nisi rore scholastico singula, quasi dextro ubere, abundè nutriantur, unde quælibet bona & commoda unicuique mortalium propinata, velut haustro excipienda, exceptaque & exantlata in universam hominum societatem porrò per certos canales, perque æquæductus quamplurimos se diffundant usque quaque, transituque expeditiori tandem latissimè deducta terris incrementa subministrant. Quemadmodum autem humanæ artes & doctrinæ valdè caducæ sunt, resque mundanas

danas unicè concernunt; ita nec in divinitatis consortium evehunt aut extollunt se sectantes. Adde, quod parum absit, quin vel à pessimorum Hæreticorum magistris, vel ethnico etiam, doctore Turcico, si non dexteriori, vel salutari magis, pari tamen, ac fortè solerti potius viâ ac modo, molliori ætati videantur posse instillari. Velle autem, tantummodò humanas scientias discendi gratiâ, liberos in ista barbarorum ablegare loca, idque respicere præprimis, ut variarum cognitione, madidum referant pectus, & decumanam jactent eruditionem, id superstitiosum magis affectum, quam Christianum candorem sapere, quistam obesæ naris est, quin manifesto sensu deprehendat? Tantum abest, ut ibi locorum magnam scientiæ laudem consecuturi sint, ut Ixionis instar, pro cœlesti Junone nubem, id est, vanissimam eruditionis umbram amplexu fallaci & mentitâ figurâ se occupasse sentiant demum, & imprudentiam institutumque vehementer deplorent. Palmarium in verâ Sapientiâ & doctrina, est orthodoxa Religio, quæ animarum salutem, & incolumitate corporum, & fortunarum bono, longè superiorem, apertè proficitur & certissimè præstat. Eruditio quam sæpe in perniciem vertit. Contra verò DEI agnitio & cultus sincerus & constans fiducia consequendæ olim vitæ cœlestis atque immortalis, sic omnes implent numeros, & præ cæteris faciunt, ut ex vero simus felices, quin & ipsius admirandæ divinitatis consortes. Sed hæc omnia ex Sapientiæ domiciliis petenda unicè, ibique ad doctrinæ cœlestis virtutisque cultum egregiè imbuenda esse ingenia, ecquis vel negare, aut dissimulare inducat animum? In his, si verò standum, Fontes Israelis latent: Ex his aqua felicitis vitæ æternæq; effectrix potissimum haurienda est, unde tanta percipietur suavitas & dulcedo, quanta ex sempiternæ Voluptatis prægustu, deliciarumq; abyssu mortalitati præsentis sufficere valet. His laticibus irrigatum pectus, quidni flumina uberrima solatiorum, cum securâ tranquillitate, adeò inundent, ut ex ipso æternitatis, Oceano flumine largissimo promanantia bona ad satietatem usq; se hausisse gloriatur? Quacunq; igitur in Urbe hi perennant fontes jugiter, illa præ aliis certè possidere ac tueri dicetur, quicquid unquam divinissimarum rerum mortalibus usu venire solet.

In cujus rei fructu cum felicitatis suæ Summam adhuc tenere hanc TORGAM nostram, non absque gaudio adspiciamus, DEO benignissimo omnes meritò gratias immortales agere par est, & ea propter tam felici Urbi cum lætitiâ applaudere, ne aut parum pensi videamur habere divini muneris excellentiam, quod ingrati & infructi foret hominis, maleque feriat; aut invidere communi bono, quod ab ingenuâ indole, & cive probo alienissimum est.

Si pristinam regionum harum faciem, si majorum nostrorum antiquiorem recolere libuerit memoriam, si superiorum temporû rationem URBIS TORGENSIS conferre placuerit, inde usque repetentibus, multas Papalium nugarum sordes, nescio quo fato, puteis immixtas venire in mentem oportet, de quibus in constructis hac de re monumentis cum legimus posteri, turbidam quidem colluviem, quâ templa ac Scholæ, adeoque hæ ipsæ ædes, conspurcatæ sorduerunt pessimè, miseramur flebilem in modum: sed virtutem tamen divinamque clementiam magis admiramur in viris divinitus ad repurgandi negotium missis, iisque Principibus maximis, quorum non manibus tantum & animi robore usus est DEUS, verum & libe-

liberalitate insigni & opibus largissimè suppeditatis: Quo pacto simul verè principum nomine dignum decus manebit ipsos, ut pro cæteris Fontium jam benè conditorum conservatorumque Auctores illustrissimi toto Orbe perpetuò veniant celebrandi. Et non pari adfectu & beneficio excitati, pari quoque applausu & voce congruamus cum Israelitico choro, ob puteum jam denuò apertum, pleno hilaritatis ore, in DEI pariter ac inventorum, Custodumque laudes hunc in modum erumpente: HIC IPSE EST FONS, QVEM FODERE PRINCIPES, CAVAVERE HUNC POPULI DUCES UNA CUM IMPERATORE SUI SCEPTIS. Omnium annorum retrolapsorum numerum inire, rerumque memoriam revocare ad calculum, singulorumque Electorum beneficentissimorum nomina recitare ordine clepsydre spatium vix permittit.

Jam ultra centum annos numeramus alterum ferè seculum retrò, ubi singulari DEI benignitate immortalis gloria scintillantes Principes, fratres binos, sed singulos, ELECTORES SAXONIÆ, interesse mortalibus, inque urbe nostrâ, seu contiguâ Arce dominando, regionibus cæteris præesse contigerat: Dominum FRIDERICUM III. Sapientem, & DOMINUM JOHANNEM, Constantem dictum; quorum Hic Religionis purioris, quam adhuc per Dei gratiam profiteamur, in Augustanis Comitibus se intrepidum Vindicem, Ejusque Constantissimum Assertorem probavit, Celsissimamque Conjugem, in ade B. Virginis apud nos, sub tumbâ post altare novum, extante, viginti; quatuor æneis candelabris inusitatae magnitudinis, sonique diversi per gradus decoratâ in memoriam sempiternam reliquit. Alterius verò auspicio & immortalis virtute, Almam Wittenbergensem, celeberrimum illud literarum ac Sapientiae emporium efflorescere cœpisse, caputque inter nubila excelsa condidisse dudum, quis tam hospitis instar peregrinatur, ut hæc prorsus ignoret? Laudatissimi Utriusque Principis indultu gratissimo factum est porrò, ut Amplissimus hujus Urbis Magistratus primùm Scholam aliquam pro juventute oppidanâ, è regione Templi B. Virginis adornandi impetraverit potestatem, quæ administranda auspiciatò legitur fuisse commissa Magistro SCHMIDELINO, Canonico Freibergensi, Viro, qui docendæ juventuti præfuit & ita se comparavit, ut literarum puteum excavare dexterrimè videretur. Qui ob id præcipuè quoque commendandus, quod sic innotuerit, qui MODERATORIS hic feratur habenas tenuisse omnium primus; successoresque is habuit postea non minori gloria, quam meritis in rem literariam Clarissimos, N. VADINUM, puta, GEORGIUM LÖSERUM, BENEDICTUM FLEMMING, MELCHIOREM FENDIUM, Suevo Horlingensem ex Academiâ Wittenbergensi accersitum, eoque post paulo reversum Doctoris Medici & Professoris nomen, partesque ultra annos quadraginta sustinendo incomparabilem famam ex liberalitate quoque consecutum. Post cujus discessum Schola hæc non proletarium Virum recepit M. MARCUM CRÖDELIIUM, Vinariensem. Quàm hic ipse charus B. Domino LUTHERO tunc temporis extiterit, libelli non uni testari possunt, quos Tantus Vir à se editos huc transmittere & donare suo CRÖDELIO non fuit de dignatus. Cujusmodi exemplum Bibliotheca nostra, Excell. Dn. JACOBO THOMASIO Acad. Lips. P. P. donante liberaliter, possidet, ipsius Megalandri manu & lemmate ejusmodi ornatum: M. MARCO CRÖDELIO Formatori pueritiæ Christianæ Torgens. suo Fratri Charissimo MART. LUTH. D.

B

Hæc

Hæc dum beneficia in Christianam Rem, urbemq; hanc publicè collata, privatim interea hæserunt in monasterio nostro, Fratres quidam S. FRANCISCO addicti, gratiam meriturine, an iram, potius & indignationem, nihil nunc attinet disputare. Simul atque verò in Wittebergenfium campis orthodoxus Lutherus fontes sacros multifariam hæcenus obstructos à cœno sordibusque errorum Papalium purgare incepisset, atque ilicò rivorum decurrentium allapsu, aliæ quoq; in vicinia regiones aquæ salutaris penuria admodum laborantes, cum urbibus uberius irrigari visæ; Hæc quoq; TORGA, Urbs ELECTORIBUS suis semper grata & amœna, incomparabili istâ felicitate, & divino plane mactata dono, haud paucas fermè superare se, non sine admiratione gavisa est. Idq; tantò majore successu, quanto in exantlandis piis ejusmodi laboribus promprios inveniatur cives; Urbs verò Clementiores Principes ac Electores, magis pios & omni laude superiores.

Hi ergò ipsi sunt, quos respicias, ô TORGA, quorum & memoriam habeas benignè, manibus beatis flores spargendo plena manu, diutissime qui vigeant ac durent, occinasque faustâ acclamatione: HI IPSI SUNT, qui fonticulum hunc scholasticum sceptris suis providè & foderunt, & purum putumque eum, qua tuendo, qua conservando veritatem, præstare nihil non, & subire discrimina tanta paratissimi fuerunt semper ac promptissimi. Quibus certè nisi grates persolveremus, si non, ut par est, debitas, commemorando saltem & pio meritorum præconio, jure omninò essemus omnium ingratisissimi censendi. Sed cum fluminibus ita esse comparatum videmus, ut de fonte ipso magis magisque aucta majores subinde incipiant volvere undas, eoque limpidioribus paulò ferrè soleant alveis, quò à purioribus iisque largis capitibus traxerunt; Ita ipse B. LUTHERUS: singulare illud ad munus hoc electum organon, frequens & exoptatissimus semper in hac Urbe, hospes, peculiari ejus delectatus Genio, favore suo semper complexus est TORGAM, & in Ecclesiâ pariter ac Scholâ ordinandâ magis, puriusque constituendâ juxta atque amplificandâ, quàm Ecclesia & Schola in monente & salutaria proponente LUTHERO auscultando, eique tenacissimè adhærendo certavit, utraque parte ex voto victrici. Consecraverat primum sermone orthodoxo Aulici Sacelli cathedram: deinde & in Urbe, ad B. Virginis, Templum alterum parochiale divinis concionibus Ejus & sermonibus resultavit personavitque, non sine ingenti omnium salute ac fructu. Quod idem postea quoque Excellentissimæ Conjugi Lutheri CATHARINÆ à Bora, Torgensis Civis quondam ope ex Cœnobio Niemecensi liberali manu adfertæ, postque B. mariti obitum, hîc loci pestis tempore, cum universitate Wittebergenfi commoranti & fato defunctæ, præstito solenniter exequiarum officio, luculentum tumulum præbuisse, ubi corpus exoptatissimâ quiete fruatur, sibi non minimæ duxit esse laudem. Quantum, bone Deus, exinde laborum susceptum fuit hac ipsâ in Urbe, circa hunc fontem, ob conservandam puritatem cœlestis verbi & orthodoxæ religionis promovendum negotium, sicut factum à LUTHERO spirante adhuc, ita etiam à fidelissimis parastatis Ejus & successoribus continuatum? Quæ non consilia hîc agitata gravissimæ hujus rei causâ, & quàm feliciter, post diuturnam deliberationem, vel eodem hoc in loco, vel alibi tandem cum prosperrimo successu fuerunt expedita? Hæc si in unum conferamus, non parum certè exornatam conspicuamque nostram

nostram reddere gestiunt TORGAM, ut vel ausit non paucas provocare, quibus in magnâ fortunâ par deest gloria. Huic enim Urbi Natalia sua debet pia illa orthodoxorum CONFESSIO FIDEI sincerâ, Augustissimo Imperatori CAROLO V. Augustæ Vindelicorum omnium nomine luculenter exhibita, quam ante primis velut lineis designaverat hâc TORGÆ LUTHERUS Ejus Auctor, simul ac illi Ejusdem conficiendæ negotium dedisset SERENISSIMUS ELECTOR SAXON. JOHANNES ille Constans, jam jam ad Comitiam cum ProElectore JOHANNES FRIDERICO, cæterisque Præpotentibus Dominis ac Principibus Augustam profecturus; cujus paulo post natam prolixiorum explicationem cum Apologiâ adsertam Christianus orbis non sine applausu excepit. Hoc aureo opere quam præclarè consultum fuit & doctorum partibus, & studiis ingenuæ juventutis, addo, universæ vitæ commodis, in quæ non minus erumpit & dilatat se usque quaque, quicquid ex hoc fonte divinius humano generi impertivit immensa Dei bonitas!

Hic Torgæ fontes S. Bibliorum, ut in vernaculam dulcissimam derivarentur, sua invenerunt privilegia. Ea enim indultu Sereniss. Electoris JOHANNIS FRIDERICI, optimi parentis pari religionis Zelo vestigia secuti Vêrsioni B. LUTHERI gratiosissimè hoc ipso in loco leguntur olim tributa. Hic ipse verò Elector, quantum pietati atque exercitiis Scholasticorum faverit, luculentissimè docere potest, quod à prole majori natu, Principe tredecenne, JOHANNES FRIDERICO, in aulâ Torgensi, quâ natus fuerat, specimen aliquod suorum in oratorio studio profectuum, ex memoriâ, sibi parenti, proceribusque aulicis præsentibus exhibendum instituit, censuitque illum ab his & ejusmodi ætati convenientibus studiis ad potiora progredi feliciter, & inde paulatim posse contendere ad summa & magis profutura. Idem ipse jam laudatissimus Elector parens huc Torgam accersivit B. LUTHERUM, Dn. PHILIPPUM MELANCHTHONEM, & alios, quos cognoverat fidelissimos religionis propugnatores, quotiescunq; religioni cavendi causâ salutare quippiam deliberandum esset, sollicitus admodum, ne tanto labore semel parta veritas cœlestis fortè in damnum verteret, aut cum ingenti malo Constantissimorum Confessorum disperderetur. Id quod subinde factum legimus, & tum quoq; cum jugulanda esset oppido perversissima opinio ANTIOMORUM, quæ unâ cum suo antesignano, Doctore Jacobo SCHENCKIO, quem D. LUTHERUS, per ludum atq; jocum, JEKELIUM appellitare solitus, ab eodem Megalandro prorsus profligata, occisa atq; eversa evanuit.

Cumque tot præterea conventus sicut alibi, ita & Torgæ frequentissimè institutos reperiamus, in quibus præcipuum, de more, caput, & palmarium esse solet de religione, de Ecclesiis, de Scholis consultandi, jure merito veneramur tantam scholarum quoque æstimationem, quarum causâ tam Principes viri in adserenda earundem incolumitate se potissimum patientur occupari. Numerum inire omnium annorum, quibus Patres Conscripti ex ditionibus Electoralis Saxonie, Misnie, Thuringie, aliarumque, ejus rei ergò, huc quoque descenderint non esset quidem difficile, quippe qui in promptu est, modò non ad alios etiam Principes præclari fontis hujus itidem Fossores insignes, & ad Præsides festinaret calamus. Eat in omni ævi memorias HECTORIS GERMANIÆ, Turcarum verò terroris, Domini MAURITII Electoris Saxonie, pro aris & focis optimi statoris illustrissimum studium, non fodiendi tantum, excolendique & tuendi hunc fontem, tam

insigni suo tot laureis & triumphis distincto sceptro, sed ei quoque post B. LUTHERI obitum vires ac opes suppeditandi, ut liberiori scaturigine exuberaret magis magisque ac promoveretur. Non satis illi Heroi erat egregia bona Collegiorum in Academiam Lipsiensem conferre: sed præter ea, tria quoque Athenæa, Illustrissimi hujus Electoris splendore, coruscantia condenda curavit, partim Misenæ, partim Portæ, partim Merseburgi, quod tamen postea aliò translatum est, & hodierno tempore Grimmam pro alma agnoscit, memoriamque Conditoris benefici gratissimâ recolit mente. Verùm nec nobis deest, quod Eidem gtratisimo animo acceptum feramus, quodque nostrum fontem commendare proprius videatur. Hujusenim Electoris ac Principis sempiterni nominis, Dn MAURITII auctoritate factum est; ut anno quodam pestilentissimo, Academia, Witteberga juberetur ad tempus certum TORGAM transmigrare, quod hujus loci Genium Proceribus Academicis & studiosæ publi magis convenire intellexerat, quàm alterius fortè, quantumvis melioris. Quorum quemque non affecisse jucundissimum spectaculum arbitremur? videre huc migrantes tot Excellentissimos unâ cum universa studiosorum, eaque egregia cohorte, quique sub discessum, se hîc ab incolis adjutos omnibus hospitalibus officiis, gratitudinis ergò, haud disimulando beneficium, publico scripto profiteri non dubitarunt. Quam strenuè interea temporis illi hîc operam in fonte scholastico ulterius eruendo concinnandoq; collocarunt? Quam naviter cuncta ordinarunt in fluxum expeditiorem, viresque & incrementa majora acquirenda? Fuit eo semestri Rector Magnificus Dn. LINDEMANNUS, J. U. D. cujus vices non rarò Dn. PAULUS EBERUS, Physicæ tunc Professor, ac deinde S. S. Theol. Doctor & Superintendens Wittebergæ, Generalis (cujus imago hîc ex altero latere Melanchthoniæ juncta conspicitur) administrasse, publico edita nomine scripta testantur. Opportunum, ipsis præberi videbatur hospitium, quod annuente Magistratu oppidano, iis cessit Monasterium novum, ubi invicem ita distribuissè comperimus auditoria, ut ex inferioribus duo contigua binis obtigerint Facultatibus, Juridicæ alterum, alterum Medicorum, idemque nonnunquam Consistorialibus patuerit negotiis: superius autem hoc nostrum videlicet, tunc inservire commodum est visum, ut Theologicis pariter ac Philosophicis consecraretur;acroamatibus. Hoc personare audisses suavissimâ voce hujus B. PHILIPPI, propinantis frequentissimæ Adolescentum coronæ jam augustissimam partem de duabis in Christo naturis, jam definitiones Theologicas, ut ipse vocat, jam Epistolam quoque Pauli ad Romanos tramissam studiosis utilissimum commentarium. In locis adhuc Theologicis sudare invenisses Dn. HESHUSIUM; PEUCERUM porrò in Sphærâ, in Arithmeticâ, in Euclide enucleando unâ occupatum salutasses, aliosque alias operas conferentes, inq; cæteris deinde Acroa-teriis pro suggestu quemlibet partes suas tuentem egregiè. E quibus nominare licet Viros Consultissimos & Experientissimos, Dn. SEBASTIANUM THEODORICUM, VITUM ORTELIUM à patriâ Winshemi-um alias appellatum, Stellam, & qui cæteri, insigni doctrinâ & virtute illustres Viri, se istis unâ conjunxerunt, de quibus iterum ingeminandum fas esse censemus: Hi Doctores Academici baculis suis tam amœnum & salutarem fodere fontem, nullam neglexerunt occasionem, ejusque custodiam, Magistratui Christiano fideliter commendatam & quasi per manus

manus traditam & relictam esse voluerunt. Nec illi unquam suo hactenus defuere officio. Imprimis autem post Academicorum abitionem & discessum, adeò jucunda videbatur res Amplissimo Senatui hujus Urbis, ut apud Serenissimum Electorem sollicitè agerent, de suo fonte scholastico ex pristino campo & platea parochialis Templi muros externos secuta, domoque vetusta non procul ab Electorali penuario, jamque à Gersdorffianis occupata, in Monasterium hoc, tum temporis vacuum, derivando, tandemque adipiscerentur alio transeundi potestatem. Quanto igitur cum gaudio existimemus Musas ex veteri domicilio in sedem sibi de novo paratam migrasse, exulantibus inde & Franciscanorum tricis, & remotis dein armamentariis quibusdā, ad tempus exiguum in Monasterii istius cameris tunc asservatis? Occuparunt latæ subsellia sibi constructa, secutæ Ductorem suum Mag. JOHANN. MOSERUM Argentinensem tunc partes Rectoris, post CRÖDELIIUM supra laudatum, feliciter & non sine laude tenentem. Quem porro, temporibus succedentibus, alii nec minus strenui fontis hujus tum fossores tum custodes exceperunt, quorum nominibus recensendis breves erimus, ne audientium animos & aures prolixiori oratione in patriæ rebus fatigemus.

Succeperunt autem M. MARTINUS OBENDÖRFFERUS, de hinc Witteb. Prof. Publ. ac tandem in Patriâ ejus. Mitvveidâ Pastor. SIMON STEINIUS Lomacensis, Budissinâ accersitus, qui vix exacto triennio in Palatinatum discessit. M. Georg PEUCERUS Budissinus, (Caspari frater) cui tres tantummodo annos munere Rectoris defuncto; Acta fori Cotbusiani amplecti placuit: M. Michael BOHEMUS, Pirnensis ex Lipsiensium Thomanâ huc evocatus, per unum, ConR. & per quadraginta annos, Rectoratus habenas non sine ingenti famâ moderatus est: M. AUGUSTINUS PREILIUS, Torgensis, qui uno anno elapso cessit Zittaviam: M. Georg. GLAUCH, Cizensis, ilicò ad Diaconatum aspiravit, tradens facem anno finito, Dn. M. JOACHIMO MEISNERO, Elstrovverdensi, antea Lipsiæ ad D. Nicolai Collegæ, hîc verò per triginta annos Rectori optimè merito, Præceptoris meo, socero ac Prædecessori æternum honorando. Horum omnium animus & ardor in eo totus fuit, ut cordatè admoverent manus ad fontis tam auspiciatò effossi integritatem & puritatem tum conservandam, tum pro cujusq; ingenii ope communicandam quotidie auditoribus sibilundis divinæ juxta atque humanæ sapientiæ, unâ cum literis optimis salubres doctrinas: Memores quippe erant, quàm sollicitâ vigilantia PATRES PATRIÆ, præter superiores cum æternâ laude recitatos, in hac Urbe veteri ELECTORUM sede, cæteri pariter ELECTORES ac Principes Maximi consulere voluerint religionis, Ejusdemq; fontium sincerati. Non enim frustra certè ac nequicquam per aliquot annos diversis vicibus tot actos conventus, modo à Pientissimo Electore AUGUSTO, sedecim Theologis excellentissimis de cavendo CALVINISMO huc accersitis, iterumq; biennio peracto, de conscribenda FORMULA CONCORDIÆ, quam haud immerito dixeris orthodoxæ doctrinæ Palladium, jam ante ipsos centum annos hîc Torgæ primum curante B. AUGUSTO, editum: modo ab Ejusdem Serenissimis Filiis & successoribus in imperio eò unice respicientibus, ne quid vitii contraherent fontes, quod exinde redundare posset in universas Ecclesias non sine maximo detrimento ac damno Reip. & salutis. Hinc factum, ut post maturimum Domini Electoris

C

CHRISTO

CHRISTIANI I. ingentis atque excelsi animi Principis obitum, conscripti  
sint hinc, Torgæ, sex & viginti illi Articuli visitatorij. purioris doctrinæ af-  
fertoribus, vindicibusq; sedulo commendati, operâ laudatissimi Electora-  
tus Administratoris, Dn. FRIDERICI WILHELMI, qui quum minoreni-  
bus Ducibus Celsissimis præfesset hinc commoratus, omni tempore in-  
eo sudavit, ut fons noster planè liber, & ab impuro cœno Calvinistico  
repurgatus aquam saluberrimam solerter extrahentibus suppeditaret ub-  
errimè. Hujus vice parentis pietatem, ac prudentiam eò feliciter arri-  
puerunt, indefessè secuti Ducis & Tutoris sui optimi exemplum, Dn. CHRIS-  
TIANUS II. & JOHANN. GEORGIUS I. ( minimus enim natus in primo  
flore annorum obiit AUGUSTUS, ) fratres immortalitati jam dudum  
consecrati, & post illud tempus ipsi Electores omni laude majores, quo-  
rum ætas, ut in toto orbe Christiano decantatissimum & Illustrissimum in-  
cidisset ADMINISTRATOREM; ita facilè assuefacti maturius sceptrorum suo-  
rum culmina non tantùm usurpare in ijs, quæ regnum & ditiones concer-  
nebant, sed humillima quoq; initia ortusq; rerum sublimium, scholas pu-  
to, attendere, nec hoc infra suam Majestatem esse positam autumare. Quo-  
rum omnium exempla & modernū nostrum Serenissimum & Potentissimū  
Electorem ac Dominum, Dn. JOHANNEM GEORGIUM II. invitarunt ma-  
gis, ne quâ & ipse hinc suis se majoribus inferiorem ostenderet, immane  
quantum laborantē, ne intercident scholæ, neq; turbentur puri fontes Israë-  
lis. Res omni laude & Principe digna erat, cum ante non ita multos annos,  
per Universam Saxoniam missi undiq; & Nobilissimi Heroës & Theolo-  
gi excellentissimi, exploraturi accuratius, quomodo se habeant jam in qua-  
libet Urbe ac regione tota cujuslibet tam providè effossi a Principibus fon-  
tes? quam occupatus quisq; sit, quàm strenuus, tam in laborando ulterius  
quàm purè iisdem conservandis & derivandis? Limpidine adhuc rivuli in  
campos manent, & quàm late longèq; deducantur? Num moles forte ali-  
qua eis sit opposita, lignave impediunt liberos cursus? Hæc beneficia sunt  
boni Magistratus: Hæc auctoritatem & splendorem augent: hæc spem pro-  
mittunt melioris felicitatis & bonorum omnium ubertim nunquam non  
affluentium. Quid in præsentifactū, de eo jam porro dicendū esset, nisi nunc  
de fontibus disserens ipse destitueret orationis fonte, dum aqua hinc mihi  
hærare incipit, nec dicendi vis ulla amplius ad pietatis & adfectus plenos  
effundendum rivos, & exultationum ubertatem, sufficere videtur. Moder-  
ni Serenissimi ELECTORIS Saxonum, Domini nostri Clementissimi maxi-  
ma merita exactius reputantes, & quam curam, quos labores, in repurgatis  
fontibus peraq; adserendis susceperit, quæ præstiterit beneficia, quæ con-  
tentione, æquè atq; Serenissimus Ejus parens Dn. JOHANNES GEORGIUS I. bea-  
tissimæ memoriæ, olim pro religione, pro templis ac Scholis, contra insidias  
machinasq; feriatorum steterit & pugnaverit, memoratu dignum repe-  
riemus exemplum, quod ut in omni ævi memorias ferendum, ita alterum  
alteri recensentem, lætitijs omnibus incedere, & sibi, & inclytæ Torgæ de  
fortunâ auspiciatissimâ non immeritò gratulari oportebit. Est enim pro-  
culdubio, omnibus in conspectu adhuc positus SERENITATIS ipsius ardor,  
ingens illud & incredibile gaudium, quo nuper peracto seculo CONCORDIÆ  
CHRISTIANÆ Torgæ primùm elaboratæ, & in splendidissimâ Arce, antea pi-  
entissimo AUGUSTO, Electori prudentissimo exhibitæ, solennitatem pu-  
blicè cum universo Procerum Aulicorum choro exceperit, certo ritu ac ce-  
remonijs, sacrâ concione, canticisq; & gratijs DEO reddendis ita hæc læta  
auspicia celebrando, ut inusitata frequentia ex alijs peregrè locis huc con-  
volan-



volantibus ad spectandū, pientissimus Elector pari videretur eoq; ferven-  
 tismo teneri desiderio, quo sanctissimum olim Regum, Davidem sitibun-  
 dum ex fonte Bethlehemitico hauriendi aquā, vix sine ingenti portantium  
 discrimine, petitam flagravisse, sacra nos docent monumenta. Ingentem in  
 modum lætabatur Optimus Electorum, Deum ter Optimum Maximum cœ-  
 lestis doctrinæ, ante centum annos repurgatæ integritatem sinceram, pu-  
 ram & incorruptam servasse gratiosè, ad hunc usq; diem, ut ex eâ, ceu salu-  
 tati fonte unicuilibet suæ potestati subditorum, cum alijs infinitis, licitum  
 sit petere omnis salutis & felicitatis, denique omnis abundantissimam co-  
 piam. Nec contentus erat tūm rebus Religionem promoventibus ita con-  
 sulere & providere, nisi ad se quoq; pertinere existimasset fontis simul scho-  
 lastici habere rationem, ejusq; tum restaurandi, tum splendidissimâ Lega-  
 torum, Illustr. Lib. Baronum, Theologorumq; summorum Electorali nomi-  
 ne, tum has ipsas sedes occupantium auctoritate & præsentia, in actu solen-  
 nissimo Acroaseos inauguralis à plurimum Rever. Dn. Superint. D. PAU-  
 LO HOFMANNO institutæ, clementissimè decorandi, mactandiq; bene-  
 ficio admodum gratioso, liberali, & nunquam non cum laude summâ po-  
 steritati memorando. O niveo digna lapillo, & cedro per omnes spargenda  
 annos dies, quæ hoc tam admirabili spectaculo scholam nostram exhilara-  
 vit! O sedes Musarum beatissima! Tibi recensere & intueri licebat ordine,  
 venerariq; à Serenissimo Electore gratiosè tibi peculiariter consecratos  
 maximè Illustres Liberos Barones, Legatos, Dominos Generosiss. Dn. CA-  
 ROLUM à FRIESEN, Ecclesiasticarum rerum Præsidem Eminentissimum; Dn.  
 NICOLAUM à GERSDORF, ab intimioribus Consilijs utrumq;, & divinis doti-  
 bus valdè insignes, Heroës. Maximè quoq; Reverendum & Magnificum  
 Dn. D. MARTINUM GEIERUM, à consilijs & confessionibus sacris & concioni-  
 bus Aulicis Primarijs, virum de Ecclesiâ orthodoxâ optimè meritum. Quā  
 jucundū erat numerare post deinde selectissimos Theologos, Doctores to-  
 to orbe celebratissimos: Dnn. CALOVIOS, MEISNEROS, SCHERZEROS,  
 LEHMANNOS; hos ex Lipsiensi, illos verò Wittebergensi Academiâ, post  
 alia gravissima expedita negotia, ad inauguralem hunc actum descen-  
 dentes, & cum Consiliarijs Electoralibus alijs, atq; Prænobilibus & sum-  
 mis, Dn. MELCHIORE von Schломach/ in Melsß & Gebersdorf intimioris  
 Militiæ & Camer. Elect. Consiliat. Dn. CHRISTIANO LORENTZ ab  
 ADLERSHELM, Cæs. Majest. & Elect. Saxon. à Consilijs Scabin. Lips. Asses-  
 sore & Reip. Consule: Dn. Gabriele Voigtio; Elect. à Secretissimis, Ex-  
 cellentiss. ac de re literariâ bene meritis; cæterisque quamplurimis ex Aulâ  
 ELECTORALI Viris, scholam hanc decorantes, radijsq; suis eam illustrantes  
 conspicerè! Si votis esset locus, jam mihi optarè dari labra fonte Caballino  
 proluta, ut omnes numeros grati animi beneficia celebrantis perfectè im-  
 plere possem, atq; deprædicare, ut decet, maxima hæc beneficia benignissi-  
 mi ELECTORIS & humanitatem studiumque singulare Præillustrium & sum-  
 morum Dominorum LEGATORUM, qui, magnâ cum laude suas partes im-  
 plendo, mirificè animos omnium in sui admirationem rapuerunt. Demis-  
 sè hic illis deponimus gratias, & cum nullus verborum apparatus suf-  
 ficiat tot nominibus recensendis, nedum dignè laudandis, gratijsque sol-  
 vendis, profitemur, Iisdem mancupio totos fore, & quo major, ex Ele-  
 ctorali gratiâ, & Dominorum LEGATORUM promptitudine, honor in  
 scholam hanc, addo & totum scholasticum ordinem redundavit, eò  
 promptiores nos inventum iri ad agendas gratias, precesq; ad Deum pro  
 perpetuâ Eorum incolumitate, & largissimâ benedictione divinitus impe-  
 trandâ humillimè fundendas. Interea porrò alacris nostra in scholis &

efferet & jactabit inde se pietas: & quantum lætitiæ in animis coarctatum latuit, quicquid Gratiarum intra carceres pectorum æstuavit, jam impetu facto prorumpet, totisque haustis vel navibus gratulabundarum, vocum in SERENISSIMI ELECTORIS munificentiam se exonerabit, ingeminando fortius canticum: HIC IPSE EST FONS, QVEM FODERE PRINCIPES, CAVAVERE HUNC POPULI DUCES, unâ cum IMPERATORE suis SCEPTRIS. Tua enim hæc, Munificentissime ELECTOR, Tua inquam Liberalitas est, & Gratia, quod in medio Auditorii hujus, ex fusili ære ingentis molis conflata & fabrefactam, cernimus ac admiramur fornacem: Tuum munus est, quod egregiam porrò argenti summam ad ornandum hoc Auditorium insuper addere, gratiosè, non fuiti dedignatus, ut quam promptum habeas animum, sicut in templis conservandis condecorandisque; ita non minus in scholis earumq; succurrendis ædificiis, iisve restaurandis, liberalis ista munificentia universo orbi satis decantata cunctæ ætati celebretur. Hæc tua munera, Tuas virtutes maximas oratione & omni voce augustiores, pietate & devoto adfectu, humilique obsequio venerabimur æternum, indefesso studio ac diligentia adnixuri, ne parum grato ac memori coetui hic honos habitus ulli videatur. Æternus ille arbiter & Remunerator Deus, Te Elector benignissime, servet incolumem & salvum adhuc per plurimos diutissimi seculi annos; servet Illustrissimam domum & Aulam, cum universa gente Celsissimâ ac numerosissimâ: vivant omnes in pace exoptatissimâ, vivant diutissimè, & inoffenso tenore felicitatis, vivant perpetuâ gloria & salute abundantes. Gaudeas ELECTOR optime, videre salutem & prosperitatem Tuorum, videre florem & pacatum statum omnium provinciarum. Faveant Tibi propitia Numina, ut rebus adfluctis & concussis per omnia mederi queas, integris verò & fartis tectis dare perennitatem. Simili pariter, devotione, ardore & humilitate maxima illa, Reverendissimorum Dominorum Fratrum, Domini CHRISTIANI, & Dn. MAURITII, Ducum Saxonie &c. &c. Illius Præsulatus Mersburgensis; Hujus verò Naumburgensis & Cizensis, laudatissimorum Administratorum, Dominorum Clementissimorum, nomina veneramur. Est enim ipsorum etiam gratiosam beneficentiam ac liberalitatem ingentem, experta hæc schola, eaque propter submissa reverentiæ & plenioris gaudii significatione ILLUSTRISSIMIS PRINCIPIBUS & PRÆSULIBUS Reverendissimis gratias habet, quas potest maximas, nec erit ullum tempus, quo non insignia illa munera ante oculos nostros quotidie obversantia novâ voluptate & gaudio nos perpetim lætent, stimulum acrem additura inluentibus, ut eximia & egregia munera omni voce, omni laude, gratissimâ mente æternum veneremur. Res gaudii plena erit, Inclytæ SAXONIÆ DOMUS PRINCIPES semper & ubique salvos, incolumesque ac florentes omni seculo, ut votis optare possumus, admirari & suspicere, identidemq; lætandi juxta ac gratulandi, in uno quoque Eorum, quotidie causas invenire. Nihil sanctius aut majus sacris Eorundem pulvinariibus inferre nobis reliquum est, præterquam humillimum votum: ut benè cunctis sit, ut vivant diutissime, regnent, triumphantque feliciter cum Celsissimâ posteritate longè lateq; auspiciato diffusa. Interea nos beneficiorum acceptorum semper memores ingeminaturi sumus, iterum atque iterum perquam læti recinentes: HIC IPSE FONS, quem fodere PRINCIPES, cavavere hunc populi DUCES, unâ cum IMPERATORE suis SCEPTRIS. Uti

Uti autem Deus hoc beneficii genus per tot incomparabiles Principes in hanc Scholam conferri annuit; ita quoque ejus singularis providentia agnoscenda est & prædicanda summoperè, quod plures subinde huic Fonti sollicitos admodum, non tantum de restaurando tam egregio bono, quam liberalibus donis, opeq; & munere suo, ei succurrentes excitaverit perbenignos Patronos & Fautores optimos, qui & parariam & auxiliatricem omnium operam præstarent fidelissimè. Cum enim hæc ædes scholasticæ, ( ut ab ovo rem accersam, ) ante id, propter penuriam ærarij, & propter calamitosa admodum tempora, immane quantum fecissent vitium, factum est divino quodam fato, ut Dn. CHRISTIANUS HÜFNERUS, Nobilis patricius, huic scholæ fautor, dum viveret, valdè insignis, centum florenos restaurando ædificio, pro suâ liberalitate ex Camerâ Electorali, concederet lubens, unde suppeditarent sumptus & reparandæ & solidius firmandæ scholasticæ huic moli. Ob quam benevolam operam jam modò post obitum ideo commendandus HÜFNERUS est, quod prima velut hujus operis perficiendi jecerit fundamenta, novis accessionibus magis magisque post deinde exstruenda & ad ultimam usque exequenda colophonem. Quæ certè res, B. HÜFNERE, licet jam humano consortio nostro sis subtractus, meliorique redditus, Tibi Tuisque tamen futura est honori, quamdiu floruerit hæc Torga patria: ( florebit autem, quod ex animo voveo, donec universa mundi solvetur machina ) & apud Deum certè istarum impensarum nunc optima constat ratio, fructusq; istius rei & beneficij uberrimus, dum tibi propinantur ex perenni fonte, qui nunquam exaret, nunquam mutatur, dulcissimæ aquarum in omnem aternitatem abunde sufficientes. Quem verò Vestrum, Auditores, latet? multa sæpe solere obstacula intervenire multaque impedimenta, quæ obsident profluentes, remoramque objicendo sufflamine velut comprimunt retinentque, ut difficulter aquæ moveantur, & ipsi fontes non rarò saxis lignisve oppilati fluxu solito procedere planè desinant, totusque aquarum intervertatur usus? Id ne accideret scholastico huic fonti Torgensi, tua, Doctor HOFMANNE, cautio fuit maximè. Quicquid enim difficultatum emerferat, confutasti oppidò autoritate tuâ, dum nec Hüfnerianam modò donationem obtinuisse contentus, sed cumulum addere insuper validiorem & boni Antistitis & veri Scholarum Patroni laudatissimum in modum induxisti animum. Certè in manu nostrâ nihil est, quo expungamus nomen, aut tantis vigilijs curæque ac providentiæ & donis, ut par est, dignas deponamus gratias. Conabimur tamen quantum licet, tua beneficia prædicare posteritati. Et en! totum hoc Acroaterium, hæc imagines universo orbi notissimæ, imprimis hæc beatissimi Doctoris & Theol. PAULIEBERI, tuum munus, & in nominis tui memoriam insigne monumentum; eum altera pariter PHILIPPEA, suavissimi Collegæ tui dono; hæc cathedræ, hæc scamna ac subsellia, & ista de novo picta laquearia, hinc nobiscum conspirant, unanimi voce gratias Tibi agentes pro omni operâ, sumptibus, studio & labore, per hoc tempus in Dei honorem & scholæ commodum felicissimè à Te exantlato. Liberalitas excitatur commendationibus, quæ eò facilius penetrant ac movent efficacius, quo splendidiore luce fulgent viri, à quibus proficiuntur. Nam fides stat autoritate; & quicquid petunt, qui Principibus antè se probaverunt sæpe, non parum favoris & clementiæ aliis quoque impetrare possunt. Triumphat in hoc schola nostra, & quanta quanta est, exultat tam præclaro bono, tantaq; felicitate. Etenim fidissimo interprete, & commendatore præximio, Dn. Antistite eodem non solummodò capita cellissima, nunquam satis laudanda, indulgentissimè se adduci passunt,

D

sa sunt,

sa sunt, ut annuerent suppliciter petitis; sed complures etiam alii in  
 hac civitate Torgensi omnium ordinum Viri Generosi, Prænobiles, Ex-  
 cellentissimi, reverendâ dignitate, consilio, Rerum usu & Prudentiâ,  
 virtutibusque singularibus admodum spectabiles, Domini, Docto-  
 res, Licentiati, Consules, Rei Quæstoriæ & Aulicis expeditionibus Præ-  
 fecti & Administratores, Ecclesiastæ, Prætores, Senatoresque & cæte-  
 rorum ordinum optimorum Viri integerrimi, unâ fuerunt permoti, ut  
 faciles descenderent in vora ac scholæ desideria, quorum nomina Ce-  
 drino succo conscripta sunt, omni tempore cuiusvis legenda pariter & ce-  
 lebranda ab illis, quicumque scholastica limina, hîc apud nos salutare  
 instituerint. Et sic juxta præclarum hoc monumentum, quod hodie  
 quoque apparet, venerabiliter Nominum pariter sequentium recorda-  
 bimur grati. Tui, Illustris Eques ac Generose, Domine CHRISTOPH BERN-  
 HARD à WALDAU, Sereniss. Rlect. Saxon. Comes Cubicularie, præsidiorum  
 copiarumq; Torgens. Præfecte & c. Tui admodum Rever. & Excellent, Dn.  
 Paule Hofmanne, S. S. Theol. D. & Superint. Capituli Wurzens. Præposi-  
 te meritissime: Sic & Excellentissimorum Doctorum & Licent. Domino-  
 rum. Dn. Christiani Fickelscheri, J. u. D. & Præct. Dn. Christiani Friderici  
 Iahni, J. u. D. & Præctici, Dn. Christiani Hermanni, J. u. D. Consulis & Præ-  
 ctici. Dn. Pauli Schröteri, Medic. Licent. Consulis & Physici Ordin. Dn.  
 Iohannis Wollersheim, J. u. Licent. & Præct. Dn. Gabrielis Richteri, Elect.  
 Armamentario Campestri & Quæstoriis Rationibus Præfecti. Dn. M. Petri  
 Kistenmacheri, Archiepiscopalis Collegiatus Magdeburgensis ad D. Ni-  
 colai Canonici ut & Ecclesiæ hujus Torgensis Diac. fidelissimi. Dn. Iohan-  
 nis Ganzlandi, Prætoris. Dn. Michaelis Henningi Prætor. Dn. Christiani  
 Fritzschii Prætor. Dn. Joh. Sam. Ringenhahni Elect. Oenothecæ Præfecti.  
 Dn. Iohannis Kunzii Senatoris, Dn. Iohannis Nicolai Vogelhaupti Senator,  
 Dn. Iohannis Crusii Hæredit. in Grefendorff. Vestra enim hæc sunt, Do-  
 mini, vestra inquam hîc prædicamus munera, & sunt, quæcunque hîc cer-  
 nitis circumcirca, sive æra occurrant, sive pictæ imagines, cathedra,  
 instrumenta musica, sedilia, tabulæ, asseres, omnes colores & ornatus, &  
 quicquid novi in conspectum prodit, omne, Deo sit laus & gloria! Ve-  
 stræ est gratiæ, vestræ liberalitatis & benevolentiæ. Fecit hoc pietas  
 vestra erga Deum: fecit favor, studium & singularis affectus, quo primis  
 statim ab annis unumquemq; vestrum ad complectendas scholas propen-  
 sum fuisse ipsa omni ex parte loqui videtur liberalitas. Vobis ut grato  
 animo & devotâ mente pro his muneribus quam diutissimos eosq; serenos  
 apprecamur dies, juxta atq; annos quamplurimos, cum multifariâ omnis  
 generis benedictione; ita faces & stimulos pungentes jam sentiunt pectora  
 nostra, quibus quotidie magis ac magis excitabuntur ad promptissimam  
 gratitudinem jure vobis debitam, erumpendo iterum iterumq; in carmina  
 laudium: Hic est fons, quem fodere Principes, cavavere hunc populi Duces  
 unâ cum Imperatore suis sceptris. Ejus rei gratiâ & TE, summe Deus, Pa-  
 ter, Fili & sancte Spiritus veneramur: O sacrosancta Trinitas, Tui fuit mune-  
 ris, Tuæ benignitatis, excitare optimos Patronos, Fontium egregios Con-  
 ditores, eorum opus promovere laudabiliter eiq; dicere bene cum ingenti  
 emolumento. Tuum quoq; erit, digna pro meritis tribuere cunctis præ-  
 mia, ut vivant salvi & florentes in pace & tranquillitate, aucti egregiè om-  
 nibusq; suis numeris & partibus beati. Tibi sit laus & honor, Tibi Gloria in  
 infinita seculorū secula. Tuere potèd, O NUMEN PROPITIUM, singulos nos &  
 universos ab omni malo & infortunio. Cingas undiquaq; & circundes nos  
 & Museum hoc cœlestium copiarū multitudine: Adsit præsto pios labores  
 continuantibus sanctissimus Spiritus tuus. Emitte sapientiam Tuam è sede  
 majestatis Tuæ, ut nobiscum sit & nobiscum laboret, ut sciamus quid  
 sit acceptum coram Te omni tempore in sempiterna secula,

D I X I.

78 M 437

ULB Halle  
001 515 276  


3


TA → OL

kein Rest.

nur 51. Stk verwendet bisher

I

10/17



I. N. J.

EUCCHARISTICA ORATIO,

Juxta illud Numer. XXI. v. 18.

Dis ist der Bruñ/ den die Fürsten gegra-  
hen haben/ die Edlen im Volck haben ihn gegra-  
hen Lehrer und ihre Stäbe.

memoriam devotam  
ntiæ & Liberalitatis maximæ

mi Principis ac Domini

**JHANNIS**

**GEORGI II.**

urggravii Magdeb.&c.&c.

ni nostri Clementissimi,

Aliorumq;

Cum

MORUM & ILLUSTRISSIMORUM

**PRINCIPUM,**

Tum

n & Honoratissimorum Virorum,

ni nostri OCTOVIRI sponte legentium,

urationem SCHOLÆ TORGENSIS

vi, jam jam occupandi, pro auspi-  
candis Lectionibus

d. XXV. Septembr.

uo ante CXXI. annos,

Orthodoxæ robur accessit pace Passaviensi

firmiter stabilita

publicè habita

a

**Reichmanno, Rectore.**

**TORGÆ,**

**JHANNIS ZACHARIÆ HEMPEL,**

ff. Elect. Saxon. Typogr. Aul.



De JK  
Ye 639

70.4

